



DIDIUS IULIANUS MEDIOLANENSIS, filius Petronii Didii Seueri, & Claræ Aemiliæ, pronepos Saluii Iuliani bis Consulis, Præfecti vrbi, necnon Iureconfulti nobilis. Apud Lucillam matrem Marci Imperatoris educatus, bonis in literis institutus, maximè legibus deditus, Magicæ operam dedit. Quæstor ante legitimam ætatem, suffragio matris Marci, est designatus. Deinde Aedilis, Prætor, Præfectus legionis, Consul & Proconsul Africæ, Consul cum Pertinace. Audita morte Pertinacis, sedatòq; tumultu, militibus in castris venale Imperium diuulgantibus, se tradituros ei, qui plus auri argentique afferret, tutòq; eum in aulam deducturos, promittentibus, Iulianus, qui ingentem auri vim possidebat, ab vxore & filia, necnon à parasitorum turba persuasus, in muro de pretio & numeranda pecunia, cum militibus conuenit, ingentia pollicens, etiam multò plus auri, quàm aut petere auderent, aut accepturos sperarent, idque sine mora se facturum spondit, atque ita est admissus, statimque princeps est appellatus, similiter ei Commodi nomen impositum. Habita deinde concione militari, vespera in Senatum venit, totumq; se Senatui obtulit. Facto Senatusconsulto Imperator est appellatus, vxor eius **MALLIA** Scantilla, & filia **Didia Clara** Augustæ appellatæ sunt. Sic Imperium mercatus, maiore militum comitatu, quàm cæteri consueuerant (nam impetum multitudinis verebatur) optimè armis munitus, in aulam deducitur. Tum primum corrupti sunt militum mores, foedaque & insatiabilis pecuniæ cupiditas, & Cæsareæ maiestatis contemptus inoleuit, cum nullus existeret, qui piorum Principum necem vindicaret, atque emptum nundinatumque Imperium prohiberet. Adeptus Imperium, delitiis atque crapulæ totum se dedit, neglecto Senatu, circa Rempub. minus curiosus, mollem ducens vitam, militibus sua spe frustratis: nam pollicitor